

841

**AVGVSTINVS HENRI-
CVS FASCHIVS.**

**Med. D. Anatom. Chirurg. & Botanic. Pro-
fess. Publ. Archiater Ducalis Saxonicus, h. t. Colle-
gii Medici DECANVS**

S. P. D.

LECTVRIS!

**Physiol.
258, 22.**

De Chylificatione.

51

Physiol 1. 28

AVGVSTINVS HENRI

CVS PASSIVS

Mein D. A. Baron, Christian, Geborne, Pro-

curator, Administrator, h. r. Cole-

g. Meib. DEAS VS

LECAVRIS

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden





Agnarum & abstrusarum rerum
indoles est, ut, quo sublimior earum
splendor & dignitas, eo plus
ad earum cognitionem noster caliget
animus, pruritumque sciendi
majorem in nobis excitet. Sublimis
& excellentis considerationis est
opus *Chylificationis*, ipsiusque
Chyli per *Intestinarum* tubum ducti
eductique. Ea sanè almæ matris,
Natura, est benignitas & circumspè-
cta Prudentia, ut machinam corporis
humani curiosè productam, solícite
sustentet & conservet. Constat
etenim corpus humanum *perpetuo*
esse in *motu*, *calido*que gaudere
& *humido*. *Calidum* de natura
ignis participare, adeoque in sui
babulum *humidum* depasce-
re, quis non videt? Unde solícita
admodum *Natura* & provida simul,
ut ab interitu vindicet ædificium
microcosmicum, *Organa* curiosissimè
fabricavit, ad nutrimenti præparati-
onem ejusdemque elaborationem
apprime conducibilia; suntque
Ventriculus, coquus ille *Naturæ*,
cujus lebes à partium vicinarum
foculis igniariis fovetur; & longa
Intestinarum tubacea series, accuratis
circumgyrationibus *Mesenterio* adnata.
Non quidem hic opus erit, multis
parasangis *conformationem* tractare;
usum solum & *actionem* horundem de-
li-

li-

libare jam sufficiet. *Cibus præviâ præparatione à Saliva imbutus & à ventriculi fermentô solutus succum fundit albicanti cremori fimilem, qui per pylori valvulam delatus ad intestinorum gyros intimiorem sui expectat liberationem; siquidem intestina non generant chylum, sed expoliunt. Inchoata in ventriculi fundo coctio, in Intestinis continuatur & absolvitur. Neque Intestina chylo coquendo destinata videntur; potius ut contineant, quæ ventriculus cocta communicat, eaque melius fermentare, fermentatione hac nova purum ab impuro liberare, liberatum ab excrementis succum alibilem distribuere, fecesque ad expultricis monita dimittere deberent. Ita nunquam otiosa Natura in ipso per intestina transitu laudabili admodum conatu chylum alterat, ad majorem perfectionem ducit, deque novo alimento corpori prospicere intendit. Non leve vero symbolum ad hoc negotium feliciter expediendum conferant succi in intestinorum cavitatem singulari naturæ consilio detrusi, qui fermentis suis partim ex hepatis cystide per porum cholodochum; partim ex Pancreate per proprium canalem; partim ex glandularum miliarium, diversis in locis eo hiantium papillis, chylosoos hujus opus promovere, partes chyli substantificas, balsamicas, salinovolatiles cogere, particulis aqueis easdem promiscendo unire, imo ipsi chylo condimentum aliquod addere, fecineamque materiam ad inferiorem gutturem deducere valent. Alteratus ita & ab impuris liberatus chylus particulis sapore gaudet grato salino, subdusci, qui substantiam Intestinorum subtilitate penetrat, dum à vasis lacteis, ubique, per suas glandulas & caniculos in illam, maximam tamen partem in Ileum, hiantibus, recipitur, ad Receptaculum Pecquetianum deducitur, &, ut*
Sanguis,

Sanguis ex eodem coquatur, *Cordi* traditur. Quam necessarium autem hoc *chylificationis* opus sit, tam *actio* ipsius ventriculi ad *Intestinorum privata*, quam *publica* toti prospiciens corpori, abunde declarat; nihilque hic inferet, quod *ventriculum* ob ingluviem & voracitatem, cui genus humanum fermè totum est mancipatum, *Plinius* adpellitet *viscus abjectissimum* & *omni odio dignissimum*. Quemadmodum vero usus hic *Intestinorum* nobilissimus; ita in opere hęc turbata aut impedita pessimis interdum afficiuntur *Morbis*, non sibi solis, sed toto microcosmo ruinam minitantibus, quæ modo à fermentatione antea allegatorum humorum p. n., modo à falso, acri, eoque mordaci, modo à laxo & stricto, modo à flatibus & similibus statum naturalem invertentibus originem suam ducunt, multumque faciunt negotij tum Medicis, tum ægrotantibus. De præcipuis institui jam potuisset discursus curiosus, nisi in Disputatione sua inaugurali *Intestinorum statum naturalem* & *præternaturalem* fusius proponere secum constituisset Clarissimus

DN. GEORGIUS ERNESTUS
STAHLIUS,

MEDICINÆ DOCTORANDVS DIGNISSIMVS

De cujus vitâ studiisque laudabiliter actis, more laudandò, sequentia exhibemus: Natus Is est Onoldi, Franconia Nobili Urbe, Serenissimorum Marchionum Brandenburgicorum Sede. Parentes Nobiliss. & Consultiss. DN. JOHANNES LAURENTIUS STAHL, Confistorii Eccles. ibidem Assessor & Secretarius benè meritus, ac Fœmina omni virtute conspicua MARIA SOPHIA

PHIA MEELFUHRERIA, ex celebri quondam & evene-
rabili inter cives suos profapia, oriunda, Filium, pieta-
tis ante omnia, tum & Studiorum, quibus ratio & ani-
mus excolitur, amore, ex ipsis cunis imbuere, pie &
sedulo, allaborarunt. Crescentibus vero annis puerili-
bus, pro utroque scopo obtinendo, & habitu in utroque
acquirendo, curæ eundem & Fidei commiserunt Viro-
rum Reverendorum & Clariss. Scholæ Classicæ in Loco,
t. t. Præceptorum. Hos inter fidei & mansuetissimæ di-
ligentissimæque manuductionis nomine celebrat DN.
GEORGIUM FRIDERICUM SCHÖNER, DN. JOHANNEM
MARTINUM FRAAS, Inferiorum: DN. M. JOHANNEM
CHRISTOPHORUM SCWEIGER, postmodum Decanum
Leutershusanum gravissimum, DN. M. PHILIPPUM
CHRISTOPHORUM BEER, posthæc Pastorem Lehrber-
gensem, Rev. Capituli Senioremeritissimum, supe-
riorum ex parte Classium Præceptores. Quorum o-
mnium uti honorificè semper & gratissimè meminit;
Ita modo laudati DN. M. BEER peculiari benevolentia
& Paterno propemodum amori, singulariter sese obstri-
ctum agnoscit; Gratissimæ mentis testificandæ occa-
sionem quamcunque exoptans. His jactis initiis, &
pertractatis denique, quantum in scholis solet, discipli-
nis Philosophicis, sub Isagoge Rever. & Clarissimi, M.
GEORGI FRIDERICI JUNII, Rectoris, & Rever. Mi-
nisterii Oppidani Adjuncti benemeriti, nunc beati, An-
no Christi M DC LXXVI. Clasficarum Informatio-
num periodum absolvit, altioribusque studiis destinatus,
iisdem valedixit. Domesticis vero causis inauspicato in-
tercidentibus, ferventis in Academiis versandi deside-
rii expletione, in tertium usque annum dilatâ, interea
temporis disciplinarum Philosophicarum perfectiori
habi-

ALP

85

habi-

habitu incubuit, posterioribus vero annis Physicæ, Botanicae, Anatomiaeque (quantum ex systematis, & inter Chirurgicas operationes versatione, fieri poterat) fundamenta jecit; Chemicis vero operationibus & enchiridibus practicè comprehendendis, domesticâ tentatione, & pharmacopolicarum Officinarum frequentatione, invigilavit; cæterum omni animi intentione, ab omni suâ memoriâ, Medicis studiis prorsus destinatus. Proinde cum Anno salutis M DC LXXIX. Academiam hanc famigeratissimam ingressus, studiorum suorum progressus cordi habere cœpit. Virum adeoque Exc. DN. RUDOLPHUM WILHELMUM Krauß / Phil. & Med. D. Chim. & Prax. P. P. & Fac. nostræ Seniore, de Diætâ seu Regimine Gravidarum publicis Lectionibus differentem, audivit, Excell. D. D. GEORG. WOLFG. WEDELIUM in Institutiones Medicas, in materiam Medicam, in Formularum conscribendarum artem, in Casus denique Practicos, privato labora commentantem; Nec minus Facultatem Medicamentorum, & Pharmaciae Præcepta publicè inculcantem, attentus percepit. Me quoque tum publicis herbationibus, tum in horto medico botanicam illustrantem sedulò secutus; simulque in utriusque sexus cadaveribus demonstrationes publicas anatomicas, tum & Collegium simile privatum utrobique diligentia cum summa visitavit. Quemadmodum verò in Medicinæ teoriâ, tanquam praxeos rationalis fundamento, rationalem potissimum indagacionem reliquis procedendi methodis palmam præripere semper se credidisse profitetur, ita aliorum quoque Medicorum hâc in arte experientissimorum opiniones rationis suæ trutinâ, in usum suum tentare, antiquissimum sibi habuit. Pro quo scopo obtinendo Excellentissimorum

rum

rum Virorum, DN. JOHANNIS BOHNII & DN. MICHAELIS ETTMÜLLERI, m. b., Philos. & Med. DD. ac Profess. Publicor. celeberrimorum scripta sedulus perlegit, ex iisque non parum commodi sibi parasse, ingenuè fatetur. Neque neglexit occasionem, quâ in suum oblectamentum per experimenta varia se exercere potuit. Feliciter itaque ad ἀκμὴν studiis suis deductis, suasu Parentum venerandorum ante aliquot tempus Nomen suum Facultati nostræ dedit, modestissimèque petiit, ut ad examina consueta admitteretur. Quo impetrato profectus in arte medicâ optimos Nobis probavit; unde ipsi sub moderatione Venerandi Nostri Senioris, Excell. D. D. CRAUSII publice disputandi Licentia pro summis in Medicina honoribus legitimè impetrandis concessa est. Habebit ergo illam futuro XXVI. Januarii. Quem actum solemnem, ut Magnus DN. Rector, Magnus DN. Rector designatus, Omnium Ordinum Professores, Doctores, Magistri & qui arti Medicæ ex animo favent, honorificâ præsentia condecorare non dedignentur, est quod officiosè & peramanter rogo. Dab. Jenæ A. O. R. MDC LXXXIV. Jan. XX.

